



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XXIII. Vt exitialia fugiant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

XXII.

Hortamur insuper, vt Christianus quisque ita quidem discat, sinceram vt saltem probe calleat fidem, atque orationem dominicam, & apostolorum symbolum perdiscat. Horum etenim altero Christiana fide tincti diuinum implorant numen, altero puram honestamque de numine Dei profitentur opinionem. Ipse Christus orationem dominicam protulit primus, eamque discipulos edocuit. Diuina autem precatio illa ex septem conflatur petitionibus: quas qui non simulate, sed ex animo fatus fuerit, cum Deo ipso de iis omnibus, quæ sunt ad vitam vel præsentem vel consequentem necessaria, colloquitur. Verum enimvero qua tandem poterit ratione quisquam ex animo Deum precari immortalem, nisi quidem illi sincere ac candide fidem habuerit. Et quidem qui hæc condiscere noluerit, nec vllam morte deletus cum Christianis capiet tranquillæ quietis partem, nec viuus & superstes ad eucharistiam admitteretur, nec ipso denique viri Christiani nomine dignus putabitur. Imo nec ei liceto officia & partes ad sacrum fontem vel coram episcopo pro alio suscipere, ni hæc prius perdiscat, & pulcre calleat.

Regii manus-
cripti
capitulum
idem.

XXIII.

Hortamur etiam, vt exitialia crimina, sceleraque atrocitas atque immania, singuli semper studiose declinent: & si quid forte impulsu diaboli delinquitur, id omne documento sacerdotis refarcitor.

Regii manus-
cripti
capitulum
idem.

XXIV.

Admonemus porro, turpe vt stuprum, illicitam Venerem, atque fœderis coniugalis violationem omne tempus ætatis deuitent singuli.

Regii manus-
cripti
capitulum
idem.

XXV.

Porro autem docemus, vt in omnium semper animis Dei timor penitus infideat, dies noctesque supplicia pro maleficiis metuant, diem iudicii timeant, tetros inferorum cruciatus horreant, extremum denique vitæ diem instare quotidie atque imminere arbitrentur.

Regii manus-
cripti
capitulum
idem.

XXVI.

Sunto sane episcopi Dei præcones ac diuini iuris interpretes. Eorum est rerum diuinarum commoda prædicare palam, seque aliis exempla viuendi ad imitandum expo-

Regii manus-
cripti
capitulum
idem.